Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25988
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Tunc filius eius pompinus cepit uociferando clamare ad palatium pergens. Moderatores et gubernatores rei publice nostre subuenite ut extinguantur artes magice. Hoc audiens prefectus urbis cesarius intimauit neroni augusto rem gestam. Nero autem imperator precepit dicens. Non tardetur sed celerius extinguantur. Pompinus uero filius paulini magistri officii precepit fortiter urgere prefectum cesarium. Tunc prefectus dedit in eos sententiam et iussu eius eiciuntur de custodia et ducti foras muros urbis rome in uiam que aurelia nuncupatur ibi gladio capite sunt amputati. Beatissima autem lucina cum hoc uideret sequebatur eos cum filia sua usque dum peruenirent iuxta formam aque ductus ubi et iam decollati sunt et corpora eorum relicta sunt trunca a canibus deuoranda. Tunc sciissima femina lucina collegit corpora eorum et condiuit cum aromatibus preciosis et sepeliuit in predio suo in arenario iuxta locum ubi decollati sunt subdie sexto nonarum iulii uia aurelia ubi prestantur beneficia eorum usque in hodiernum diem regnante domino deo atque saluatore nostro ihesu xpo qui uiuit et regnat in unitate spiritu sancti per omnia secula seculorum. AMEN.

Passio Iohannis et Pauli.

Sub constantino augusto Gallicano duce romani exercitus persarum gens que syriam inuaserat uicta est et utiliter subiugata. Qui cum triumphalibus infulis sublimatus acceptus esset et carus filiam eius sacratissimam uirginem constantiam sibi poscebat uxorem et hoc non mediocri instantia flagitabat tempore quo imminebat gens scythica que et ditias et tracias occupauerat quam erat bene potens omnium potestatum comites ac prefecti